

aequinoctium autumnum ab eo supersint dies XIII, et ab aequinoctio ad Vergiliarum occasum diebus XXXVIII plurima sit erice. Athenienses eam tetralicen appellant, Euboea sisyrum, putantque apibus esse gratissimam, fortassis quia tunc nulla alia sit copia. Haec ergo mellatio fine uindemiae et Vergiliarum occasu idibus Nouembribus fere includitur. Relinqui ex ea duas partes apibus ratio persuadet, et semper eas partes fauorum, quae habeant erithacen. A bruma ad Arcturi exortum diebus LX somno aluntur sine ullo cibo. Ab Arcturi exortu ad aequinoctium uernum tepidiore tractu iam uigilant, sed etiamnum aluo se continent seruatosque in id tempus cibos repetunt. In Italia uero hoc idem a Vergiliarum exortu faciunt et in eum dormiunt.

Aluos quidam in eximendo melle expendunt, ita diribentes quantum relinquunt. Aequitas quidem etiam in iis obstringitur, feruntque societate fraudata aluos mori. In primis ergo praecipitur lauti ut purique